

exhiberi verum corpus et sanguinem Christi, non quod fiat aliqua alligatio corporis substantialis ad panem aut commixtio substantiarum Christi et hominis, sed ita ut constituatur vera praesentia sacramentalis vel actionis, qua in nobis Christus vere est efficax abluens nos suo sanguine et vniens nos suo corpori reali et viuifica vnione. Improbamus etiam contraria docentes²²⁷ 5 nempe illos, qui imaginantur in coena fieri repraesentationem Christi absensis et coenam tantum esse notam professionis neque prodesse ad fidei confirmationem. Denique ita eas recipimus et vsurpamus, sicut in posterioribus scriptis ipse autor eas interpretatus est.²²⁸ Sin autem alij perperam eas accepterunt, nostrum non est hoc praestare neque multitudo errantium paebebit 10 errori patrocinium. Argutiis pontificiorum ut prolixe respondeamus nihil opus est. Cogitent illud comicum: Huic cum dico, tibi dico. Ipsi enim autores sunt harum cor-[78:]ruptelarum. Eadem igitur fundamenta refutant vtrosque. Profanationes in missis theatricis, oblatio, adoratio eleuati, repositi et circumgestati panis in aliis scriptis copiose refutatae sunt et quidem, vbi vera 15 praesentia et vsus monstratus est, iam tota propago idolatriae iugulata est. Non etiam nunc furores enthusiastae Silesij longa oratione redarguere statuimus, cum hoc a ratione nostri argumenti sit alienius. Contenti igitur erimus hac breui seu disputatione seu altercatione cum homine parum sano. Non solum sonat homo fanaticus veterem suam cantilenam, non minus gratam 20 multitudini, quam est coccysmus vel singultus cuculi, qui mulierculis creditur reddere oracula, non esse Christum efficacem per ministerium. Sed recens ipse et satellites ipsius quidam lucifugae horribiles vlulatus potius furarum quam Caci²²⁹ atrociore quam vnquam antea ediderunt. Manifeste negant, Spiritum sanctum esse efficacem per sacramenta. Imo affirmat ipse 25 senex nihil se sollicitum esse de ritu sacramentorum, scire se sumptionem in coena esse liberam et quid ἀδιάφορον sicut et baptismum praesertim infantum, nec credibile apostolorum aetate baptizatos esse infantes, vti sese libertate euangelij, nullius coetus se socium vel ciuem esse et abstinere prorsus ab vsu coenae optimo quidem iure. Nam et Paulum inter capita libertatis retulisse 30 sacramentum coenae. Iubet etiam suos sectatores sibi viuere, fugere conjunctionem vel societatem cum aliis congregationibus qualibuscunque et esse contentos manducatione spirituali Christi, qui sese nobis infundat secundum vtramque naturam vere et substantialiter, nec aliter verba coenae intelligenda illisque talem syntaxin: τὸ σῶμα μου ἐστὶ τὸῦτο, inquit pronomen 35 referri ad totum intellectum et verba ea esse pronunciata a Christo post panis manducationem nec ad panem referenda. Sententia igitur erit: Corpus meum

²²⁷ Vgl. CA X, 2, in: BSLK 64,5f.

²²⁸ Zur theologischen Entwicklung von Melanchthons Abendmahllehre vgl. Bizer, Theologie der Verheißung, 67–76, 101–107; Mahlmann, Das neue Dogma, 56–85, 182–194; Sturm, Ursin, 82–86; Brandy, Christologie, 32–39; Hund, Das Wort ward Fleisch, 66–96.

²²⁹ Zur Person des Cacus, von dem behauptet wurde, er habe die Rinder des Herkules gestohlen, vgl. Fritz Graf, Art. Cacus, in: NP 2 (1997), 879f.